

D E O D U C E
M E D I T A T I O S. E V A N N G E L I I

D I E I A N N U N C I A
T I O N I S M A R I Æ

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberio-
rem textus, cum opus est,
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia.

P R Æ S I D E

D N. Æ S C H I L L O P E T R Æ O

S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

Examini subijcit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Februarij 14. Anni 1651.

A N D R E A S L A U R E N T I I S T I R E N I U S
S U D E R M A N N U S,

(A)

Beda.

Trepidare virginum est: & ad omnes viri ingressus pavere: & omnes affatus vereri.
Hinc discant mulieres propositum pudoris imitari. Solam sine comite Ange-
lus reppetit: Ne quo genere de huius depravarent affatu.

(B)

Ambrosius.

Mic erit magnus. Non quod ante partum virginis Magnus non fuerit: s; quia potentia
quam filius Dei naturaliter habet hoc ex tempore erat accepturus ut sis una
persona: homo & Deus.

A B O Æ

Excucibat Petrus Wald/ Acad. Typogr. Anno. 1651.

MEDITATIO S. EVANGELII

DIETI ANNUNCIATIO

TONIS MARIE

Adrianus S. Petri in Civitate Quercetana

annus, alioquin deservit, et laboriosum textum, et operam
explicationum & Heresiodorum, et rationum.

In Regia Bibliotheca

RESIDE

ON. E. S. CH. L. L. O. P. E. T. R. O.

S. S. Theol. Doct. Proff. & Civitatis eiusdem Pastore.

Examinatus in Universitate Martiana, et

Ad eam Titulum in anno 1671.

ANDREAS LAURENTII STIRENSIS

SUDERMANNUS.

Edes.

(A) *Tristitia, etiam in se, et ad omnia, in incertis, pavoris, et timoris, etiam, vobis
liberis, etiam, in incertis, pavoris, et timoris, etiam, vobis
liberis, etiam, in incertis, pavoris, et timoris, etiam, vobis*

Abstrusus.

(B) *Non omni, etiam, in incertis, pavoris, et timoris, etiam, vobis
liberis, etiam, in incertis, pavoris, et timoris, etiam, vobis
liberis, etiam, in incertis, pavoris, et timoris, etiam, vobis*

A B O E

Examinatus in Universitate Martiana, et Ad eam Titulum in anno 1671.



MEDITATIO TEXTUS

DE

ANNUNCIATIONE MARIE,

In Sanctæ & Summæ Laudandæ Trinitatis, Patris, filii,
& Spiritus Sancti Nominè.

Juravit Jehova Davidi veritatem, à quâ non aver-
tit se dicens, de fructu ventris tui ponam in folio tuo. Psalmo
132. v. 11. Quibus verbis commemorat Psalmista maxi-
mum illud Dei beneficium, vidz. missionem filij Dei in
hunc mundum, ad assummendam humanam naturam in
personæ suæ unitatem, ut ita Deus & homo genus huma-
num perditum per peccatum Deo reconciliaret, inter-
veniente ejus passione & morte. Hoc beneficium
Deus promisit in paradiso, hoc promisit etiam patri-
archis, Regibus & Prophetis, Davidi præsertim,
cui etiam juravit quod filius Dei assumpturus erat hu-
manitatem ex illius posteris. Proinde sæpè hanc pro-
missionem David addit, semper verissimam fore & non
falli. Ita & ille cecinit ex psal: 117. Laudate Dominum
omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam con-
firmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domi-
ni manet in æternum. Hoc annunciari vult S: Sanctus &
Ecclesiam utriusq; Testamenti adhortari ad laudandum
& celebrandû Deû, & quidem ut serio & studiosissimè lau-
des Divinas celebrent; quia S: Sanctus repetit hanc adhor-
tationem, Laudate, Laudate, additur & causa hujus celebra-
tionis: quoniam (inquit) confortata est super nos mise-

ricordia ejus & veritas in æternum. Licet verò varijs modis Deus suam misericordiam humano generi ostenderit (creando hominem ad suam imaginem) tum v. imprimis emicat Divinæ misericordiæ flamma, cum Deus totum genus hominum in protoplastis, violatione Divini edicti miserimè perditum, restaurare voluit promissione seminis ex muliere, quod contritum erat caput Serpentis Gen: 3. Veritatem suam manifestissimã fecit, non solò edicti sui violatoribus pœnas temporales mox infligens, prout antea minatus erat, Sed etiam servando quod promiserat de venturo semine per quod homo ab æternâ morte liberaretur, in gratiam apud Deum rediret, differre- batur quidem hæc hujus promissionis impletio per tria annorum millia, suo tamen tempore & cum Deo visum esset acceptabile tempus & dies salutis, implevit Deus quod promisit, misit eum qui mittendus erat, rupti sunt Cœli & qui venturus erat venit, verbum Dei factum est caro, fili- us Dei unigenitus quem pater sibi ab æterno genuit, conceptus est de S: Sancto, in utero B. virginis Mariæ, & factus sub lege, ut eos qui sub lege sunt redimeret.

De conceptione Christi hodiernum celebratur festum, & veritas Dei manifestata merito depredica- tur, merito Domini laudant omnes gentes, merito popu- li eum celebrant Cantando: misericordia & veritas Domi- ni corroborata est super nos: omnes dicamus Halleluja, Laudate Deum. Et quia conceptionis Christi histori- am nobis textus qui hodiè pro concione tractari solet, exponit:

O Remus Deum, ut hodiernum festum ita celebrare, & Evangelicè ita meditari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinae, & bonæ

bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in aeternam
beatitudinem: Dicamus igitur, Pater noster &c.

Evangel. Luc. i. v. 26. usq; ad 39. v.

IN mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à
Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazarethæ,
ad virginem desponsam viro, cui nomen erat Josephus,
ex domo Davidis: nomen autem virginis erat Maria.
Ingressus igitur Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ
dilectâ: Dominus tecum est: benedicta tu inter mu-
lieres. Illa vero cum vidisset eum, perturbata est su-
per ejus sermone: & ratiocinabatur apud se qualis es-
set salutatio ista. Tunc dixit ei Angelus, ne metue Ma-
ria: es in gratia apud Deum. Et ecce, concipies in
utero & paries filium: & vocabis nomen ejus Jesum.
Hic erit Magnus, & filius Altissimi vocabitur, dabitq;
ei Dominus Deus sedem Davidis patris ipsius, re-
gnabitq; in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non
erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: quo-
modo erit istud, quandoquidem virum non novi? Et
Respondens Angelus dixit ei, Spiritus Sanctus super-
veniet in te, & virtus altissimi inumbrabit te: pro-
pterea id etiam quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur
Filius Dei. Et ecce, Elisabetha cognata tua, & ipsa
concepit filium in senectute sua: Et hic mensis est sex-
tus ipsi quæ vocabatur sterilis. Quia apud Deum
non erit ullum verbum quod fieri non possit. Dixit

autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum & abiit ab ea Angelus.

S. Lucas refert Historiam maximè notabilem, quod Angelus Gabriel sit missus à Deo ad virginem Mariam, eiq; nunciaverit quod mater Dei esset futura. eum v. S. Virgo Maria verbum Angeli pro impossibili haberet, siquidem virum non cognovisset, confortatur ab Angelo non ex virili semine, sed ex superveniente S: Sancto, & virtutis altissimi obumbrat one: ipsam concepturam & parturam filium, cujus nomen erit Jesus, qui futurus Magnus & filius altissimi vocabitur, accepturus sedem patris sui David, regnaturus super domum Jacob in æternum & sine fine. Quod etiam Maria credit, & Angelo respondet, Ecce! ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

Confirmat hoc Evangelium articulum fidei nostræ: credo in Jesum Christum conceptum à Spiritu Sancto. Item hunc articulum: credo in Deum omnipotentem. Excitamur ad orandum: fiat voluntas tua &c. Tractemus autem hunc textum Paulò latius & quidem in his duabus partibus.

PARTES.

1. *De Angeli ad virginem Mariam legatione.*

2. *De virginis Mariae responsione.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & æternus Deus, Pater noster cælestis dilectissimus, nobis omnibus benedicit, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.

PARS

PARS PRIMA

In qua meditamur :

I. Temporis annotationem.

legatio hæc facta est mense sexto vidz. postquam hic Gabriel missus erat ad sacerdotem Zachariam, & ab eo tempore quo concepit uxor Zachariæ, ut Angelus ipse indicat dicens: Sextū esse mensem ei quæ iacebatur sterilis.

L. C. Supputatio temporis à S. Sancto, in conceptione Joh: Bapt: & Christi, ut Iaacii Gen: 18. comprobatur illud quod dicitur Psal. 139: 15, Non est occultatum os meum à te, quoniam factus sum in occulto & formatus sum in inferioribus terræ. Viderunt oculi mei & in libro tuo omnia scribebantur, non E. fortuitó & casu nati sumus, nec casu morimur, ut stulta illa turba garit Sap: 2.

II. Legati descriptionem, qui-

nam sit, Non homo est hic legatus, Cæsar, Rex, Princeps quorū in hoc mundo est magna dignitas. Angelus est hic legatus, cujus & nomen exprimitur Gabriel. Hic qui cum Daniele ante aliquot secula de adventu filij Dei locutus est Dan: 9. 2. Hoc nomē, etiam hujus legati dignitatē inter Angelos indicat. Gabriel enim significat Dei fortitudinem, nunciavit Gabriel nasciturum ex Maria filium, qui fortis esset vidz. illum de quo Esa: extat cap. 9. cujus nomen etiā filius fortis.

L. C. I. Deus ipse reparationem generis humani magni æstimat quod inde colligimus, quod Angelum miserit suum ad annunciandam conceptionem Mariæ non itaq; homo ipse abjectè de hoc sancto Dei opere sentiat, sed suam indignitatem confiteatur, &

Dei

Dei suprabundantem misericordiam fateatur & celebret
conf. Psal. 103. & 104. cant. quoq; Mariæ Luc. 1. Canticum
Zach. ibidem. v. 1. 2.

L. C. 2. pars officij Angelici his innuitur ver-
bis: vz. mitti à Deo ad promovendam generis humani
salutem, quod etiam libenter faciunt 1. Pet. 1. gessientes
intueri Salutis nostræ Mysterium. Et Christus Luc. 15,
ait eos delectari hominis peccatoris resipiscentiâ. Nō
itaq; est dubium, quin in omnibus pijs concionibus S.
Angeli adsint, delectantur fideiū pastorū informatione
exhortatione. consolatione, correptione. Sicut multum
delectantur Angeli auditorū seriâ auscultatione, vitæ e-
mendatione & pietate ut modo ex Luc: 15. probavimus.
Cum itaq; Angelos nobis presentes habeamus, danda est
opera ne illos S: vigiles, vitæ nostræ impuritate & flagitijs
à nobis abigamus, eosq; nobis inimicos redda-
mus.

III. Legati Salutationem. Sa-

lutat Angelus virginem Mariam, priusquam negotiū lega-
tionis exponit. Est enim salutatio; non adoratio & pre-
catio cum Angelus dicit: Ave Maria gratiosa, Dominus
tecum benedicta sis inter mulieres. Hic verbis Angelus
Mariæ faulta quæq; precatur, ut nos invicem solentius
nos mutuo salutare. Deindè exponit Mariæ singularem
illam gratiam, quod Deus sit cum illa, non communi ali-
quo presentia modo, quo alias apud nos esse solet, sed
hæc gratia quod elegit illam in filij matrem præ omnibus
alijs in mundo mulieribus. Minimè autem hic sensus
est Angelicæ salutationis, quod Angelus Gabriel S. Mariã
constituerit fontem aliquam gratiæ, undè ad alios gratia
Dei dimanaret; hic enim honos competit soli ejus filio &

ventris

ventris fructui. Sic Angelus in sermone ad Josephum Ma-
 ria maritum loquitur, quod Maria paritura esset filium,
 cuius nomen esset Iesus, quia hic esset saluatorus populū
 suum à peccatis eorum, hoc efficit m. hæc dignitas nulli
 alij præter Mariæ filium, sive viro sive Mulieri competit.
 Quod attinet ad hanc formulam (Dominus tecum)
 est illa usitatissima in scriptura, usurpatur autem duplici-
 ter; Vel *Optativè*, ut, sit Dominus tecum, Jos. 1. v. 17.
 1. Reg. 17. v. 37. & 20. v. 13. Erit Dominus tecum, 1.
 Par. 22. v. 16. Vel *Indicativè*, 1. Reg. 10. v. 7. fac quæ-
 cundq; manus tua invenerit. Dominus enim tecum est 2.
 Reg. 7. v. 3. omne, quod est in corde tuo, fac, quia
 Dominus tecum est. Gen. 21. v. 22. Deus tecum est,
 in omnibus quæ agis. Ita Angelus salutatur Gedeonem.
 Jud. 6. v. 12. Dominus tecum, virorū fortissime. Et hæc
 posterior significatio melius convenit sententiæ Ange-
 li. Sicut enim in publicis calamitatibus Deus videba-
 tur à populo suo aversus, cum verò per manum Gedeonis
 populum liberare vellet à tyrannide, Angelus compellat
 Gedeonem, Dominus tecum. Ita cum erecturus esset cor-
 nu salutis in domo Davidis, Gabriel dicit (*Dominus tecum*)
 sumpta est autem & illa formula ex promissionibus de
 Messia. Ero tecum Gen. 26. v. 24. & 31. v. 3. Exod 3. v. 12. Esa.
 41. v. 10. & 43. v. 2: Sicut enim ab illis, quos iratus pu-
 nit, dicitur aversus Deus: ita quos gratiâ suâ complectitur,
 illis præsentiam & gratiam suam peculiaribus beneficijs
 donis & operationibus declarat. Et hoc est (*Dominus
 tecum*) posset & hoc cogitari: Gabrielem ita loqui,
 (*Dominus tecum*) quia conceptura & paritura erat Imma-
 nuelem, qui est nobiscum Deus. Illa v. formula (*Bene-
 dicta tu inter Mulieres*) extat enim Jud. 5. v. 24. Benedi-
 cta inter mulieres Jahel, quoniam per illam Deus populo

illustrata beneficia præstiterat. Quinquam mihi non est
 dubium Angelum respicere ad promissionem illam, Gen.
 12. v. 2. Benedicam tibi & eris benedictus. Et quia Ma-
 ria conceptura erat illum, de quo scriptum est: In semi-
 mine tuo benedicentur omnes gentes, ideo Gabriel
 dicit ad eam (*Benedicta tu*) Et observetur Grammatica dif-
 ferentia. Quando n. significatur Laudatus vel laudabilis,
 plerumq; usurpatur *ἐν λογιῶντος*, ut Benedictus Deus, Mar.
 14. v. 16. Eph. 1. v. 3. Rom. 9. v. 5. Aliud verò est. Psal.
 115. v. 15. Benedicti vos Jehova. Esa: 65. v. 23, semé ben-
 dictorù Jehova. Et quod propriè huc convenit, Ruth. 3. v.
 10. Benedicta tu Domino filia. In illis locis Græci reddide-
 runt per participiù *ἐν λογιμέντος*. Ita & Matth. 25. v. 34. Be-
 nediti patris & Gen. 14. v. 19, & 20, in eadè periodo diffe-
 rentia ostenditur *ἐν λογιμέντος* Abraham Deo, & *ἐν λογιῶντος*
 Dei altissimi. Sensus igitur est: Vel quod Maria præ omni-
 bus mulieribus sit laudata, vel laudabilis: Vel, quod præ o-
 mnibus mulieribus illustri benedictione à Deo sit orna-
 ta, ut sz fieret Mater filij Dei, Messiz. Dicit autem An-
 gelus, non inter virgines, sed (*inter mulierem*) propter
 primam promissionem: Gen: 3. v. 15. Semen mulieris
 conteret caput serpentis. Et Hier. trigésimo primo, vers.
 vigésimo Secundo, femina circumdabit virum. Ac
 propter illam ipsam causam Paulus dicit, Gal. 4. v. 4.
 Natus ex muliere. Ex hac collatione locorù scripturæ,
 explicatio salutationis Angelicæ plana erit.

L. C. 1. Cælestis hic legatus dignatur Mariam salu-
 tatione, fausta comprecans & felicitatem ei gratulans,
 quod Dominus esset cum ea, quod benedicta esset in mu-
 lieribus: Exemplo hoc docetur Christianorum esse offi-
 cium se invicem salutare & resalutare, salutavit Angelus
 Tobiam senioreni dicens: Dominus det tibi gaudium,

& quod salutatio humanitatis quædam pars est è Sanctis-
simis quibuscunq; usurpata. Opera danda ut & eos in
hoc servando similes nos præbecamus, & ut esse pos-
simus ad salutandum benevoli, & ex corde fausta proxi-
mo precari operam deus, ut offensiones & injurias à
proximo illatas non altæ memoriæ figamus, sed antequàm
sol occiderit eas condonemus.

L. C. 2. Paupertas & contemptus coram mundo
non potest impedire quo minus nobiscum sit Deus.
Maria erat paupera, nupta fabro lignario, interim erat in
magna apud Deum gratiâ. Deus erat cum eâ. Sic An-
gelus salutans dixit: Dominus tecum. Licet Gideon
erat in maximis angustijs propter hostes philistæos, qui
ipsum & alios ex populo Israëlitico assidue infestabant:
Ita hæc feliciter imprimamus cordi nostro, quod nulla sit
calamitas, in quâ Dominus non sit nobiscum, dum eum
diligimus & ei confidimus: Ita ipse Dominus conciona-
tur: Invoca me in die tribulationis, Psal. 50.

IV. Expositionem negotij.

Hoc ita proponitur: præmittitur quædam consolatio, quâ
Angelus vult Mariam esse bono animo, ne timeat (in-
quit) Maria, nacta enim es gratiam apud Deum, nec opus
est ei timore. Negotiū ipsū exponitur, hisce verbis: Ecce!
Concipies in utero & paries filium: Prædicat quodnam
nomen sit hujus filij? vocabis nomen ejus Jesum. Hic
idem filius ab Esaia indicatur nomine Immanuel i. e. no-
biscum Deus. Non verò propterea Angelusei contradicit,
nam utrumq; verum est. Siquidem hic Jesus verè est
Immanuel, nobiscum Deus. Exprimitur autem hoc
nomen apud prophetam exprimens utramq; naturam,

Div. & hum. Hoc vero nomen Jēsus, est Filius Dei & Mariæ proprium nomen: Hoc nomen ipse exponit in colloquio cum Saulo, inquit: Ego sum Jēsus quem persequeris Act. 9. vocatur etiam hic Filius Christus, qui unctus est in Regem & Sacerdotem, idem est scilicet quod Messias.

Quæ fortuna & successus futurus hujus filij indicat: Erit magnus & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem patris ipsius David, regnabitq; super domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.

Quod hic dicitur de Jesu Christo Mariæ filio quod erit magnus, de Regno, de sessione super sedem Davidis patris sui in Imperio in domum Jacob in æternum, sicut intelligendum (*Erit magnus*) hoc dicitur primum ratione personæ, quia Deus & homo. 2. ratione officij. 3. ratione Regni sui. Unde Syrus magnum vocat Raph quod & summo Pontifici & regi seu principi tribuitur. Est autem frequentissimum hoc Epiteton, Magnus Dominus noster, &c. sed locum, qui huic maxime quadrat, arbitror esse, Esa: 12. v. 6. Jubila & canta: quoniam magnus est in medio tui Sanctus Israël: Nam & ibi nomen Jēsus ipsis ferme literis extat: Dominus Deus factus est mihi in Jēsuah. Et eodem modo angelus in suâ legatione hæc duo coniungit (*vocabis nomen ejus Jēsus, hic erit magnus*) Et caput illud 12. Esa: collatum ad hæc verba Angeli, monstrabit explicationem, sicut locus 2. Reg. 7. v. 14. Ero ei in patrem, & ipse mihi in filium & Psal: 2. v. 7. Filius meus es tu, ostendent, quid illud sibi velit. (*Filius altissimi vocabitur*) quod scilicet ille, qui ab æterno fuit filius Dei, jam in carne manifestabitur, & prædicabitur filius altissimi: quodq; una & eadem persona sit filius Mariæ & filius altissimi. Et quia Esaias prædixerat, nomen Messiae futurum Immanuel: illud Gabriel hæc periphrasi explicat.

Mariæ

Mariae filius vocabitur **filius altissimi**, h. e. veri Dei. **Elion** enim excelsus sive altissimus, est unum ex proprijs nominibus veri Dei. Et hac ad descriptionem personae Messiae pertinent. Maria enim virgo gravida pariet filium: Et hic Mariae filius erit filius altissimi, h. e. Deus & homo: filius Dei & filius Mariae.

L. C. Christus est verus homo & verus Deus, ut in Symbolo nostri secundo Articulo fateamur; Credentes in J. Christum filium ejus unigenitum, qui conceptus est de S. Sancto, natus ex Maria virgine, idem Angelus in ipso sermone testatur concipies (inquit) in utero & paries filium & vocabis nomen ejus Jesum, Luc. 1. Ecce! Magnus & filius altissimi vocabitur. Hic Rex est regens suam Ecclesiam in hoc mundo verbo suo & sacramentis pascens, reficiens his donis tanquam saluberrimis omnes suos fideles in hoc mundo subditos, aeternam coronabit in Paradiso gloria ad quam ipsos in extremam die publice & solenniter invitaturus est, dicendo: Venite benedicti patris mei &c.

V. Fidei Mariae confirmatio-

nem. quum illa quaereret quomodo verba Angeli complenda essent, quomodo conciperet ab eo; viri opera: exponit Angelus modum: quod vidz. S. Sanctus veniret super illam & virtus altissimi obumbrabit ei, ideoq; futurum, ut quod ex ea nasceretur, vocandum sit filius Dei. His verbis vult Angelus ut Maria acquiescat & credat, quod sit sibi futurum sicut dixerat, quod sit conceptura, tamen virum non cognoscat, commendat vero Deo totum negotium, & S. Sanctus & virtus altissimi perficiet, ulterio non quaerendu. Exemplu adducit, quoda quo creditu videtur dis-

facile. Elizabetham cognatam Mariæ, quæ iam diu fuerat sterilis concipisse & iâ ferè 6. menses gestare uterû. Generalem clausulam adhibet, quæ in omnibus quæ captum hum. superant, fidem confirmabunt, apud Deum non esse impossibile aliquid.

L. C. Cordibus nostris penitissimè inscribenda hæ Angelica sententia; non erit impossibile apud Deum omne verbum: cruciamur & tristamur, de victu & amictu fidamus Deo meminerimus Angelum dixisse: non est apud Deum quicquam impossibile. Si Deo credamus & in eum speremus, victum nostrum dabit nobis, escam in tempore oportuno; implebit & nos suâ benedictione. Si valetudo infirmior & morbus & vexatio: non dubitemus de sanitate, si Deo ita placuerit, is enim medicus est optimus, omnes morbi ad ejus mandatum quiescunt, evanescent.

SECUNDA PARS.

In prima parte habuimus legationis descriptionem. In hac v. parte Secunda, quædam virtutes recensentur, quæ elucet in gestibus & verbis Mariæ, quibus hunc legatum excipit.

In qua meditamur.

I, Locum ubi hic legatus excipitur. civitas quædam erat Nazareth, eó Angelus missus erat à Deo. In domo erat Mariæ cum adiret eam Angelus, intravit ad eam Angelus, & quia dicitur, Angelum ad eam in ingressum esse, non adstruitur ipsam otiosâ invenisse vix circumcursitantem in plateis & vicis, sed domi honestis operibus domesticis occupatam.

L. C. Ornat præcipuè muliebrem sexum, virgines præcipuè quod domi libenter maneant, quod pedes earû nō nimis leves sint ad circumcursitandum in plateis, & dum

exire oportet ad negotia; juxta patientum voluntatem, ut non morentur sine causa foris.

II. Turbationem ad illius

aspectu & salutatione, quâ Modestia ejus indicatur & vera humilitas, quod cogit vir qualis hæc fuit salutio, quâ ita extollebatur & in tanta apud Deum gratia esse dicebatur, indignam sese prorsus reputat, tanto Dei favore & gratiâ, non superbit & inflatur, sed modeste de se sentit.

L. C. Humilitas & modestia nobis discenda est, ut humiliemus nos sub potenti manu Dei, nemo se majoris estimet quâ oportet. Qui gloriatur, in Domino gloriatur non ex sapientia sua, non ex divitijs, non ex ulla re conf. Jerm:9: 23. 1 cor 1: 31. 2. cor:10: 17.

III. Studium discendi in Ma-

ria. Hoc apparet, quia ei videbatur mirum quomodo cum virgo esset, & virum non cognosceret, filium in utero conciperet & pareret, ideoq; querit quomodo hoc fiat, quomodo hoc verbum Angeli sit intelligendum, non utiq; ex diffidentia & incredulitate, sed ex simplici & recto corde, volens ulterius de his informari.

L. C. Imitandum Auditoribus Mariæ exemplum, ut dum audiunt aliquid à suis concionatoribus, nec id satis quomodo intelligendum sit, assequuntur, ut pie & modeste interrogent à suis doctoribus quomodo hoc vel illud sit intelligendum.

IV. Plenum assensum Mariæ.

Cum intelligeret Maria amplius non esse querendum de modo, quo gravida fieret, sed futurum uti ab Angelo dictum erat, quod conciperet filium, idq; divinam prorsus virtute,

Spirita

S. Sancto superveniente, & virtute altissimi obumbrante, acquiescit sermone Angeli.

L. C. Simus Mariæ fratres & sorores, audiamus verbum Dei, & donec verum habere possimus intelledum quæramus, & dum audimus aliquid esse, quod humano intellectui pervium non est, sed est imperferutabile, hoc simpliciter credendum, non curiosè & rigorosè rimandum, scrutandumve.

Omnipotens aterne Deus, & pater Cælestis, qui pro nobis in optimis, Sanctissimè, & purissimè unicum filium tuum, per S. Sanctum, in utero virginali, naturalè hominè verè concipisti. Quasum, & regem nos, ut pro hoc maximo & gratuito tuo redèptionis nostræ beneficio, toto pectore totaq; mente & voluntate tibi grati reperiamur, & in Ecclesia magna sumis te laudibus evehamus & solis meriti filij tui fiducia salvemur. Qui tecum & S. Sancto vivit, & regnat Deus, per infinita secula, Amen.

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc. 7: 12.

Q U Æ S T I O N E S I,

AN Christus etiã juxta humanitatè sit filius Dei? Luth. rectè dixerit Christum esse filium Dei in utraq; naturâ? Aff.

Quod hæc germana sit sacrarum literarum interpretatio, ipsa scripturæ testimonia ostendunt. Angelus enim Gabriel luc. 1, v. 35, de toto illo Sancto, quod ex Maria virgine nasci debebat, perspicuè dicit illud ipsum sanctum, quod ex te nascitur, vocabitur filius Dei.

2. *Quomodo Elisabeth dicatur cognata Maria à Gabriele*
Angelo. Luth. illam Genealogiam ita format: quod Joachim sive Eli, qui erat ex domo Davidis, duxerit ex tribu sacerdotali Annam, sorore Elisabethæ, undè genuerit Mariam. Et hoc propius convenit ad illud, quod apud Lucam Elisabetha dicitur nata ex filiabus non Juda, sed Aaronis: & tamen Mariam esse eius cognatam. Atq; ita Christus, Rex & sacerdos, natus esset ex Maria, oriunda ex tribu regali, quod ad paternam stirpem attinet, & ex tribu sacerdotali, secundum Maternam lineam. Ac talem conjunctionem usitatam fuisse, ex probatis historiis ostendi potest.